



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fasti Mariani

Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Spiridion Ep. 12. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

naci dixit. Ingemuere ad impium facinus parent-  
 tes pii, & pœnitebat hostem Deo & cruci ge-  
 nuisse, nec jam heredem volebant, qui ex asse  
 optimam partem avitam pietatem nollet. Quod  
 tamen unū poterant, precibus pro perituro apud  
 Deum agebant, scelusque non suum suis lacrimis  
 plectebant. Et profectò plus lacrimis parentum  
 filius, quàm lacti olim debebat. Instillarunt enim  
 hæ denuò bonam mentem. Rediit prodigus, &  
 pulchrum parentum consiliū secutus, signa, quæ  
 turpiter abjecerat, crucem inquam, manu venera-  
 bundā sustulit, & intrepidus palàm iterum ad  
 Amiranum tulit, lacrimis interim & gemitibus  
 perorantibus, quos sæpiùs intercalaris illa Eccle-  
 siæ vox *Kyrie eleison* interpellabat. Illum ergo cum  
 neque fames aut verbera, neque carcer aut vincula  
 avellere à cruce possent, naviculæ Amiranus im-  
 posuit capite minuendum. Ergo animus cæli, ca-  
 put abscissum urbis portum petiit, redemptumque  
 à Christianis centum aureis, & argento inclusum  
 diu oleum sudare visum est, ut vel ex hoc Christi  
 Athletam agnosceres. *Ex Menais.*

*Crucem domini semper in mente, in ore, ut signo  
 tenete, Crux Domini armatura vestra contra sara-  
 nam, galea custodiens caput, lorica protegens pectus,  
 clipeus tela maligni repellens, gladius iniquitatē sibi  
 propinquare non sinens.* Martial. epist. ad Burdeg.

S. SPIRIDION EP. 12. Decembris.

SPRIDION ex opilione Cypri Episcopus, non  
 vitæ conditionem sed gregem mutavit, omnes  
 pascere sollicitus, pauperes præsertim. Itaque ser-  
 pentem mutasse in aurum fertur, quò egenti esset,  
 unde frumentū cœmeret. Alio item tempore cum



avarum animum nullis precibus expugnare civis indigens posset; SPIRIDION huic disertis verbis in crastinum annonam spondit. Neque aliter factum quam dictum, Aquarum alluvio avectum ex Euclionis granario frumentum ad ipsas inopis ædes detulit, nullo nec rei nec vecturæ pretio. In fures etiam non minus beneficus quam comis fuit. Nempe cum gregem hi direpturi advenissent, arcana Numinis vis ligatos omnes SPIRIDIONI tradidisset, exsolvit hic officiosus, & viæ comitem abeuntibus ultrò ambulare arietem iussit. Porro filiam, quam, dum olim in matrimonio ageret, sustulit, ut defuncta depositum aurum indicaret, tantisper è tumultu evocavit. Sed & alium morte sublatum vitæ & matri reddidit, mox matrem filio etiam, cum hæc gaudio emortua esset. Ultimùm cum in messe occupatum æstus gravior affligeret, ros cælo illapsus recreavit, simul alii capilli albescere, nigrescere alii, alii denique canescere visi sunt. Hos ille ut mortis prodromos accepit, postquam illum laudibus omnis ætatis homines mactaturi essent. Tu etiam disce hinc non senes modò, sed & juvenes, quin vix natos capillos emori. *Ex Surio.*

*Totum quod es, illi debes. à quo totum habes, illi precipuè Domino, qui & te fecit, & benefecit tibi. Huic totis medullis, totis viribus serviendum: ne fortè indignationis oculo te respiciat & despicat, & comerat in æternum. S. Bern. de Quadrupl. debito.*

S. LVCIA V. & M. 13. Decembris.

**S**i virgo è cælo sidus lucet, LVCIAM esse credidero virginittatis laude præ aliis illustrem. Hæc dum cum matre agrâ ad tumbam D. Agathæ prece-